

**ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE**

**PRORECTOR**

**H. CAROLUS BRIEGLEB D.**

**CUM SENATU**

**S U C C E S S O R E M**

IN

**SUMMO MAGISTRATU ACADEMICO**

**CONR. HENR. FUCHS D.**

**CIVIBUS SUIS**

**HONORIS ET OFFICII CAUSA**

**COMMENDAT.**

---

Inest

C. FR. HERMANNI ELOQ. P. O.

Defensio disputationis de Graeciae post captam Corinthum conditione.

---

**GOTTINGAE MDCCCLII.**

**TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.**

(GUIL. FR. KAESTNER.)



**R**egimen hujus Academiae per biennium administratum jamjam deposituro unum quamvis gravissimum negotium superest, ut renunciem successorem collegarum suffragiis creatum et ab Augustissimo Rege eodemque Universitatis nostrae Rectore Magnificentissimo clementer confirmatum, virum experientissimum doctissimum

### **CONRADUM HENRICUM FUCHS D.**

qui quam operam rebus nostris ambiguo et turbulento tempore gravissimam et fructuosissimam praestitit, eandem nunc iterum in hoc honoris fastigio constitutus cum majore, ut speramus, laetitia et allevatione exhibebit. Faxit modo Deus Optimus Maximus, ut florentissimae prosperitatis luce, quae post diuturnas sollicitudines affulsit, porro perfruamur; vos, Commilitones ornatissimi, omnesque, ad quos aliqua hujus prosperitatis pars pertinet, non edicto magis et admonitione mea quam ipsorum prudentia et usu indigere arbitror ad intelligendum, quantopere summi magistratus successus cum civium obsequio et concordia conjuncti sint.

Ego vero, quem jam novi Prorektoris primordia disputationis congratulatione excipere necesse est, cum annum, cujus primum statim mensem philologorum Germaniae conventus huic oppido destinatus illustrabit, ita mihi aptissime auspicari visus sum, ut sententiam a me olim in eodem conventu Basileae a. 1847 habito propositam moxque amplioribus argumentis firmatam et probatam a nuperis dubitationibus defenderem, quae quo speciosius exornatae sunt, eo promptiorem refutationem postulare videntur. Nempe Graeciam vel ut Romani eandem publice appellabant Achajam post eversam a L. Mummius Corinthum non statim in provinciae formam redactam esse, sed ad Caesaris usque Augustive aetatem nomine certe et jure liberam mansisse, contrariamque vulgi opinionem Sigonii potius errore quam ullo vetere testimonio niti, postquam paucis jam in Antiqu.

publ. Graec. §. 190, not. 5 significavi, et in conventus Basileensis actis p. 52 sqq. et in libro qui inscriptus est *Gesammelte Abhandlungen* p. 556 sqq. pluribus demonstravi, in eandemque sententiam eodem fere tempore ultro incidit *Kuhnii Beitr. zur Verfassung d. röm. Reichs*, Leipz. 1849. 8 p. 128 (*bis gegen das Ende der Republik scheint jedoch Achaja kaum als eine römische Provinz betrachtet werden zu können*); meam vero disputationem et G. F. Hertzbergius de rebus Graec. inde a foederis Achaici interitu usque ad Antoninorum aetatem, Hal. 1851. 8, p. 14—21 fere integram amplexus est et doctus Anglus in *the Classical Museum*, London 1850. 8, T. VII, p. 259—276 ita probavit, ut quum alia indicia, tum insignissimum Zonarae testimonium meis adderet, E. Curtius denique, intelligentissimus Achajae periegeta, *Peloponnes. Goth.* 1851. 8, p. 76 rem sine ulla dubitatione iterat; nuper demum Joach. Marquardtus in continuatione libri Beckeriani, qui inscribitur *Handbuch der römischen Alterthümer* T. III, p. 121—150 veterem errorem novis argumentis tueri conatus est, quae etsi nihil fere continent, quod non ipse dudum cognitum et expensum habuerim, tamen et elegantia doctrinae et disputandi subtilitate dignissima sunt, quibus iteratam ejusdem rei tractationem opponam. Atque hoc quidem, ne quis erret, inter nos convenit, alias Graeciae partes liberas et immunes, alias populo Romano vectigales fuisse, quarum posteriores magistratus Romanos administrare necesse esset; illud tantum ambigitur, utrius generis potior causa fuerit, ut inde totius regionis nomen et conditio derivari posset; qua in controversia ego, nisi quam partem Romanorum imperio subjectam fuisse constet, liberam existimo, ille, nisi quam liberam fuisse demonstrari potuerit, ad provinciae conditionem deprimit, eamque quanquam peculiare rectores fere nullos habuisse concedit, tamen et potuisse habere contendit, et si non habuerit, Macedoniae certe portionem et velut dioecesin aliquam fuisse statuit; hoc igitur quo jure sumat, ita nunc examinabo, ut singulos quos citavit testes secundum temporis maxime ordinem interrogem, et primum quidem aequales publicaeque fidei monumenta explorem, deinde Ciceronis auctoritatem in iudicio constituam, tum Caesarum aetate quae Romanorum scriptorum hac de re sententia fuisse videatur persequar, postremo etiam ipsos posterioris aetatis Graecos in medium producam.

## I.

Principe loco pono decretum Q. Fabii Maximi Proconsulis Romani non ita multis post eversam Corinthum annis emissum, unde Marquardtus plenam vulgari opinionioni confirmationem accedere jactat<sup>1)</sup>; qua de sententia ut ipsi lectores iudicium facere possint, totum titulum cum paucis quibus eget aut Dobraci<sup>2)</sup> Boeckhii<sup>3)</sup> aut meis supplementis subjeci: Κοίντος Φάβιος Κοίντου Μάξιμος, ἀνθύπατος Ῥωμαίων<sup>4)</sup>, Δυμαίων τοῖς ἄρχουσι καὶ συνέδροις καὶ τῇ πόλει χαίρειν. Τῶν περὶ Κυλλάνιον<sup>5)</sup> συνέδρων ἐμφανισάντων μοι περὶ τῶν συντελεσθέντων παρ' ὑμῖν ἀδικημάτων, λέγω δὲ περὶ ἐμπρησέως καὶ Φθορᾶς τῶν ἀρχείων καὶ τῶν δημοσίων γραμμάτων, ὧν ἐγεγόνει ἀρχηγὸς τῆς ὅλης συγχίσεως Σῶσος Ταυρομένεος ὁ καὶ τοὺς νόμους γράψας ὑπεναντίους τῇ ἀποδοθείσῃ τοῖς Ἀχαιοῖς ὑπὸ Ῥωμαίων πολιτεία, περὶ ὧν τὰ κατὰ μέρος διήλθομεν ἐν Πάτραις μετὰ τοῦ παρόντος συμβουλίου· ἐπεὶ οὖν οἱ διαπραξάμενοι ταῦτα ἐφαί-

1) Marquardt p. 125: eine vollständige Bestätigung erhält die gewöhnliche Annahme aber durch die Inschrift . . . aus welcher hervorgeht, dass wenige Jahre nach 146 die Städte Achajas, namentlich Dyme und Patrae unter dem Proconsul Q. Fabius Maximus standen und wegen des Versuchs, die ihnen von den Römern aufgedrungene tinokratische Verfassung zu ändern, durch diesen bestraft wurden.

2) Class. Journ. T. XXX, p. 139, unde repetit H. J. Rose Inscr. graec. vetust. p. 405 sqq.

3) C. Inscr. T. I, p. 712.

4) Fabius hic qui fuerit, valde jam Boeckhius ambigit, neque arbitror Aemilianum a. 609 Consulem intelligi posse, quem quod vir clarissimus suspicatur post bellum Hispanicum a. 610 adversus Viriathum gestum a. 611 Achajam obtinere potuisse, duas eundem hominem provincias deinceps administrare a more Romanorum prorsus alienum erat. Eadem vero causa est Serviliani, qui a. 612 Consul et ipse per biennium (Appian. B. Hispan. c. 68) contra Viriathum pugnavit, et Allobrogici a. 633 Consulis, quem hoc ipsum cognomen arguit Galliam potius rexisse; unus igitur restat Eburnus a. 638, qui si post consulatum Graeciam aut Macedoniam potius obtinuit, hoc decretum fere triginta post Corinthum captam annis scriptum est; idque vide ne etiam Polybii testimonio firmetur, qui si vivus etiam has turbas vidisset, non potuisset XL. 10 scribere μηδεν ἀπόρημα μήτε καὶ ἴδιαν μήτε κατὰ κοινὸν ἐκ τῶν νόμων γενέσθαι περὶ μηδενός.

5) Hoc est: Cyllanius cum collegis ex synedorum numero, qui Romanorum partes sequebantur. De Cyllene regione finitima ne cogitemus, vel dialectus prohibet, cujus Dorismus inter communis sermonis formas in hominis tantum nomine proprio ferri potest.

νοντό μοι τῆς χειρίστης καταστάσεως καὶ ταραχῆς καταβολὴν<sup>6)</sup> ποιούμενοι, ὡς ἂν μάλιστα ὑμῖν οὐ μόνον διὰ τῆς πρὸς ἀλλήλους ἀσυναλλαξίας καὶ χρεωκοπίας βλαβερά<sup>7)</sup>, ἀλλὰ καὶ τῆς ἀποδοδομένης κατὰ κοινὸν τοῖς Ἕλλησιν ἐλευθερίας ἀλλοτρία καὶ τῆς ἡμετέρας προαιρέσεως εἶη<sup>8)</sup>, παρασχομένων τῶν κατηγορῶν ἀληθινὰς ἀποδείξεις, Σῶσον μὲν τὸν γεγονότα ἀρχηγὸν τῶν πραχθέντων καὶ νομογραφήσαντα ἐπὶ καταλύσει τῆς ἀποδοθείσης πολιτείας, κρίνας ἔνοχον εἶναι θανάτῳ, παρεχώρισα<sup>9)</sup> ὁμοίως δὲ καὶ Φορμίσκον Ἐχέσθένεος τῶν δαμιουργῶν τὸν συμπράξαντα τοῖς ἐμπρήσασιν τὰ ἀρχεῖα καὶ τὰ δημόσια γράμματα, ἐπεὶ καὶ αὐτὸς ὠμολόγησεν· Τιμόθεον δὲ Νικία, τὸν μετὰ τοῦ Σώσου γεγονότα νομογράφον, ἐπεὶ ἔλασσον ἐφαίνετο ἡδίκηκῶς, ἐκέλευσα προάγειν εἰς Ῥώμην, ὀρκίσας ἐφ' ᾧ τῇ νομηνία τοῦ ἐνεστῶτος ἔσται ἐκεῖ καὶ ἐμφάνισας τῷ ἐπὶ τῶν ξένων στρατηγῷ ταῦτα<sup>10)</sup> μὴ πρότερον ἐπάνεισιν εἰς οἶκον κ.τ.λ. *Quid igitur? probatne hoc decretum singulas tantum Graeciae civitates liberas fuisse, universam in provinciae formam redactam Proconsuli paruisse? At, opinor, claris verbis κατὰ κοινόν, communiter, Graecis libertatem redditam Fabius memorat, non igitur solis, quos imperatorum quoque aetate libertatem retinuisse scimus,*

6) Sic ego supplevi literas quae in lapide solae restant *KA*, quum Dobraei κατάπτωρα nec Boeckhii assensum tulisset. Πολυχνονίου καὶ βρυείας τυραννίδος καταβολὴν dixit Polyb. XIII. 6, 2, ἀσθενίας Plat. Gorg. p. 519 A; cf. Held ad Plut. V. Timol. p. 495.

7) Haec quoque mea hariolatio est in loco lacero, quem sic Dobraeus supplevit: ποιούμενο[ι ἢ κολασίαι εἰσ] τὴν οὐ μόνον ὡς τῆς πρὸς ἀλλήλους οἷσα συναλλα[αγῆς] καὶ χρε[ίας τῆς κατ' ἰδίαν]; at in lapide est *ΛΛΗ. ΟΥ. ΑΣΥΝΑΛΛ*, unde ἀλλήλους οἷσα συναλλαγή εἶχε nequit; praetuli igitur formam privativam eique χρεωκοπίαν hoc est novas tabulas (Plut. V. Solon. c. 15) eo securius adjunxi, quo clarius legimus Romanarum partium adversarios inter Achaeos omnium maxime debitoribus liberaendis plebem sibi conciliare studuisse; cf. Polyb. XXXVIII. 3: ἅμα δὲ τοῖτοις παρήγγειλε τοῖς ἄρχουσι μὴ πρᾶττειν τοὺς ὀφειλέτας μηδὲ παραδίχισθαι τοῖς ἀπαγομένους εἰς φυλακὴν πρὸς τὰ χρεῖα κ.τ.λ.

8) Sic ego, unde praecedentem quoque structuram omnem suspendi; Boeckhiius *ἰγώ*, ut Dobraeanum εἰσπαρηχομένων vitaret, nec tamen ipse sibi satisfaciens, quum lapis clare *EI* praebeat.

9) Ita claris literis lapis, nec arbitror quamvis inusitatum verbum tantum offensionis habere, ut cum Dobraeo et Boeckhio *παραχώρησαι* substitui opus sit, praesertim quum huic quoque significationem prorsus insolitam tribuere cogamur. Quid enim sit *mortis concedere aliquem*, aegre efficias; acceditque nudatio antecedentis *ἔνοχον*, quod sibi potius dativum addi flagitat, ut Lyeurg. adv. Leocrat. §. 4 *ἐνόχους τοῖς ἐκ τῶν νόμων ἐπιτιμίαις*, cf. Schaefer. ad Demosth. T. V, p. 323; Proconsul igitur dignum quidem morte a se iudicatum hominem, non tamen occisum sed *relegatum* esse scribit, quod poeuae genus quum Graecis ignotum fuerit, nihil mirum est insolito verbo significari.

10) Ita Dobraeus ex iisdem lapidis vestigiis, unde mox Boeckhiius ὅπως ἂν effecit, duritiam tamen structurae ipse concedens; mihi objecto carere *ἰμαγιζέειν* non posse videtur, velimque aut *τὴν αἰτίαν* aut omnium commodissimum *ἰεντόν* substitui liceat; cf. Plut. V. Cat. min. c. 73.

Atheniensibus, Lacedaemoniis, Delphis, Elatensibus, Tanagraeis, Thespiensibus <sup>11)</sup>, sed universae Achajae eodem sensu, quo eandem sub Augusto, ut videtur, amisam a Nerone recuperavit <sup>12)</sup>; neque opinor eo vel adulationis vel ludibrii Romanus magistratus processisset, ut populos, quibus regendis Roma missus esset, liberorum appellatione deciperet, quum contrarium potius passim fieret, ut liberos tanquam subditos vexarent Romanique imperii nomine quidvis sibi in eos licere existimarent. Atque haec etiam Fabii causa fuisse videtur, quem ipsius Achajae Proconsulem fuisse ne Marquardtus quidem contendit, sed Macedoniam potius rexisse arbitratur, in quo me prorsus consentientem habet; quod autem Graeciae eandem quam Macedoniae conditionem apparere illamque hujus provinciae velut partem aliquam fuisse censet, nec nostro titulo comprobatur et aliis testimoniis, ut posterius videbimus, plane refutatur. An illud provinciae formam arguit, quod Fabius — non, ut Marquardtus jactat, Dymaeorum civitatem, sed tres hujus principes seditionis auctores in iudicium vocatos poena afficit? Qua in quaestione primum quidem illud tenendum est, Dymae urbis prorsus singularem fortunam fuisse, unde de reliqua Achaja conjecturam capere omnino non liceat; quae quum jam ante Romanorum victoriam in Philippi Macedonis ditione fuisset <sup>13)</sup>, secundum ipsam illam legem, quam in superiore mea disputatione scripsi <sup>14)</sup>, Romanis ne digna quidem libertate videri poterat; nec profecto mirum esset in eam urbem, quam jam Sulpicius Romanorum dux <sup>15)</sup> militibus diripiendam permiserat eandemque posterius novis a Pompejo accolis auctam <sup>16)</sup> Augustus coloniae Patrensi adjecit, vicinae provinciae praesidi peculiarem jurisdictionem competiisse, qualem huic in ceteras Achaeorum civitates ne levissimum quidem testimonium tribuit. Quanquam ne id quidem statui opus est, quum ne eorum quidem principibus, quos optimo jure liberos a Romanis habitos esse constat, in levioribus causis nobiles Romanos magis pepercisse legamus. Sicyonem

11) Cf. Kuhn. p. 127; Marquardt. p. 124.

12) Plin. N. Hist. IV. 10; cf. griech. Staatsalterth. §. 190, not. 12.

13) Paus. VII. 17. 3: ταύτην Φίλιππος ὁ Δημητρίου πόλεων μόνην τῶν Ἀχαιῶν ἔσχεν ἐπὶ ἴσῳ, καὶ ἐπὶ τῇ αἰτίᾳ ταύτῃ Οὐλυμπικός, ἡγεμὼν καὶ οὗτος Ῥωμαίων, ἐπέτρεψε τῇ στρατιᾷ διαρπάσαι τὴν Δύμην, Αἰγυόστος δὲ ἕσπερον καὶ προσέειπεν αὐτῇ Πατρίσιν.

14) Gesamm. Abhandlungen p. 360.

15) Ita enim legendum esse pro Οὐλυμπικός jam Palmerius intellexit; respicitur autem P. Sulpicius Galba, qui Consul a. 554 bellum cum Philippo administravit, Liv. XXXI. 14 sqq.

16) Strabo VIII. 7. 5, p. 388.

ipse Marquardtus provinciali servitute eximit; hujus tamen oppidi magistratum, *populi Romani*, ut clare Cicero loquitur, *socium atque amicum* <sup>17)</sup>, Verres iter in Ciliciam provinciam faciens, quum frustra numos poposcisset, igni ex lignis viridibus atque humidis in loco angusto facto fumo excruciatum semivivum reliquit; idque narrans Cicero genus tantum animadversionis perhorrescit, animadversionem ipsam improbam, non inauditam appellat. Item Elatenses in Phocide socii et amici populi Romani erant <sup>18)</sup>; horum magistrum architectonem P. Crassus Mucianus, quum in consulatu a. 625 Asiam obtineret, quia ex malis duobus minorem pro majore misisset, vocari jussit et quum interrogasset, cur non eum quem jusserat misisset, causis rationibusque, quas dictitabat, spretis vestimenta detrahi imperavit virgisque multum cecidit <sup>19)</sup>. Ipsorum denique Achaeorum nota res est Romanos jam viginti annis ante Corinthum captam, quo tempore illi sine ulla controversia liberi erant, mille reos, quos Callicrates proditionis insimulasset, indicta causa Romam evocasse perque Etruriae oppida in publicas custodias divisisse <sup>20)</sup>; quos ut jure nostro comparemus, imprimis etiam docta Roecklii observatio facit, qui hos quoque sive captivos sive obsides ejusdem Praetoris curae subjectos esse animadvertit, quem nostro in titulo Timotheus adire ejusque potestati se committere jubetur. Quanquam a provincialis hominis persona id ipsum mandatum nescio quomodo alienum est, ut hinc quoque colligas eum, quem Proconsul Romam ad Praetorem peregrinum mittere quam ipse punire maluerit, illius auctoritati magis et potentiae quam jurisdictioni paruisse; neque adeo reliquorum duorum relegatio, si recte lapidis verbum *παράχωρῖσαι* interpretatus sum, legitima magis poena quam extraordinarium artificium fuisse videtur, qua Fabius quamvis mortem meritos tamen suo edicto summovere quam popularium judiciis tradere satius habuerit; quibus omnibus comprehensis tantum abest ut hoc titulo Achaja in provinciae locum deprimatur, ut et libertas ejus certam confirmationem accipiat, et quicquid contra hanc facere magistratus

17) Verr. I. 17.

18) Pausan. X. 34. 2, qui quod id Mithridatico demum bello factum esse narrat, cum Gellii testimonio ita concilio, ut eos antea praesidium Romanum habuisse suspicer.

19) Gell. I. 13. Eandem rem Johannes Sarisberiensis Policrat. VI. 12 Frontino auctore ab Elatensi ad Atheniensium magistratum transtulit, cetera autem eodem modo narravit, ut mirum sit Corsinium Fast. Att. T. II, p. 104, IV, p. 120 de Crasso a. 684 Consule cogitare potuisse; rectius Drumann. Gesch. Roms T. IV, p. 61.

20) Polyb. XXX. 10, Pausan. VII. 10. 11; cf. Merleker Achaic. p. 413.

Romanus videatur, provincialis tamen jurisdictionis imaginem nullam referat. De aliorum autem oppidorum Graecorum titulis, quos Marquardtus provincialem formam ea re testari opinatur, quod aeram suam ex eversae Corinthi anno computant<sup>21)</sup>, nemo unquam audivit amissae libertatis tam dulcem gentibus recordationem fuisse, ut velut novae aetatis inde initium caperent, nec Megarensibus, Hermionensibus, Messeniis, Aeginetis magis fuit quam Eleutherolaconibus, qui quum ab eodem tempore annos suos ducant, iidem tamen provinciae jugum nunquam subierunt; quod si maxime concedo Boeckhium, cujus in conjectura tota haec computatio nititur<sup>22)</sup>, veram aeram investigasse, certe et Graecis oppidis et Thessalonicae, cujus in Macedonia provincia libera conditio fuit<sup>23)</sup>, haec tantum causa esse poterat annum 603 novi saeculorum ordinis principium faciendi, quod tunc ipsorum res publicae eis legibus descriptae fuerant<sup>24)</sup>, quibus etiam tum, quum illi tituli scripti sunt, pariter utebantur. Neque aliud est quod Polybius<sup>25)</sup> decem illos legatos, quibus Romani componendas Achaeorum res permiserant<sup>26)</sup>, constituisse testatur; quos nec per se necessario provincialem formam descripsisse similia exempla probant<sup>27)</sup>, neque Achaeis quicquam nisi novas leges, quibus ipsi deinceps res publicas administrarent, imposuisse clara Polybii verba docent, ubi se oppida circumivisse narrat et *περὶ ὧν οἱ ἄνθρωποι ἀμφιβάλλουσι διευκρινῆσαι, μέχρι οὗ συνήθειαν ἔχωσι τῇ πολιτείᾳ καὶ τοῖς νόμοις*, nec singulis tantum civitatibus, quod Marquardtus Strabonis loco abusus criminatur<sup>28)</sup>, sed *πᾶσι τοῖς Ἑλλήσι*, quibus homo patriae amantissimus profecto

21) Marquardt. p. 125: *so scheint mir dagegen . . . die Aera vom Jahre 116, deren sich Messene, Megara, Hermione, Aegina, das ebenfalls zum achaischen Bunde gehört hatte, und andere Orte bedienten, entschieden für die Ansicht des Sigonius zu sprechen; denn auch in Macedonien begann die neue Aera nicht von dem interimistischen Zustande des Jahres 167, sondern mit der Entstehung der Provinz 116, und es müsste ein besonderer Zufall seyn, wenn in Achaja umgekehrt von der Aera der Provinz keine Spur erhalten wäre, da die des Jahres 116 oft vorkommt.*

22) C. Inscr. T. I, p. 640, II, p. 175.

23) Plin. N. Hist. IV. 17, unde illustratur titulus C. Inscr. n. 1970.

24) *Τῇ ἐποδοθείῃ τοῖς Ἀχαιοῖς ἐπὶ Ῥωμαίων πολιτείᾳ*, ut in nostro titulo est; cf. Paus. VII. 16. 6: *δημοκρατίας μὲν κατέπαυε; καθίστατο δὲ ἐπὶ τερμητίων τῆς ἀρχῆς.*

25) Polyb. XL. 10.

26) Cic. Att. XIII. 30 sqq.

27) Polyb. XVIII. 25. Liv. XXXVII. 55; cf. Hertzberg p. 17.

28) Hic enim quod VIII. 7, 3, p. 385 ait *Ῥωμαίων ἰσχύων τὴν Ἑλλάδα σὺμψυον καὶ οὐ τὸν αὐτὸν τρόπον ἐπίστοις χωρῶν, ἀλλὰ τοὺς μὲν ἀντίχειν, τοὺς δὲ κατελιπεῖν βουλομένων*, tempus inter Philopoemenis

non praedicasset καλὸν δεῖγμα τῆς Ῥωμαίων προαιρέσεως relictum esse, si ad unam alteramque tantum civitatem libertatis beneficium pertinuisset.

## II.

Quae quum ita sint, etiam si qui apud Ciceronem ejusque aequales <sup>29)</sup> liberi *Achajae populi* memorantur, non singulas tantum civitates, quibus singulari Romanorum beneficio libertas concessa fuerit, sed omnes intelligo, quorum quidem ipsa oppida incolumia manserint; Romanae ditioni eos tantum agros concedo, qui eversis oppidis vacui velut sua sponte in victorum possessionem transierunt. Sic Chalcidensium equites sublato <sup>30)</sup>, urbem dirutam esse legimus <sup>31)</sup>; nihil igitur mirum Euboicos agros locari a magistratibus Romanorum potuisse <sup>32)</sup>; eadem Thebarum <sup>33)</sup> reliquaeque plurimae Boeotiae sors fuit, ubi solae Thespieae et Tanagra et libertatem et integritatem servarunt <sup>34)</sup>, cetera oppida vix pagorum locum obtinuerunt; hinc publicanorum jus <sup>35)</sup> et Proconsulis Macedoniae jurisdictio etiam prius quam Graeciae rectores a Romanis mitterentur <sup>36)</sup>; nec Corinthiaci agri aliam fortunam esse consentaneum erat, quem deleta urbe vectigalem populo Romano factum esse legimus <sup>37)</sup>, ut posterius in eundem colonia deduci posset <sup>38)</sup>; inde vero tantum abest ut, quod Marquardtus jactat, Achaeos universe in deditiorum conditionem venisse, singula tantum oppida immunia

στρατηγίαν et Corinthum captam interjacens spectat, quo Romani Lacedaemonios contra Achaeos tutabantur; deleto foedere Achaico Romanos alias civitates sibi conciliare alias debilitare (*absichtlich durch ein verschiedenes Verfahren einen Theil der unterworfenen Städte zu gewinnen, den andern ganz unschädlich zu machen*) studuisse ne levissimo quidem argumento comprobari potest.

29) Ut Caes. B. civ. III. 3: *magnam imperatam Asiae, Syriae regibusque omnibus et dynastis et tetrarchis liberisque Achajae populis pecuniam exegerat.*

30) Polyb. XL. 11.

31) Liv. Epit. LII: *Thebae quoque et Chalcis, quae auxilio fuerant, dirutae.*

32) C. Inscr. n. 5879 l. 23.

33) Paus. VIII. 33, Dio Chr. VII. 121.

34) Strabo IX. 2. 5, p. 403; Plin. N. Hist. IV. 12.

35) Cie. N. Deor. III. 19.

36) Plut. V. Cimon. c. 2.

37) Cie. l. agr. I. 2: *qui L. Mummii imperio ac felicitate ad vectigalia populi Romani adjunctus est;* cf. II. 19 et Rudorff. de lege Thoria in Zeitschr. f. gesch. Rechtswiss. T. X, p. 133 sqq.

38) Griech. Staatsalterth. §. 190, not. 6; Zumpt. Comm. epigraph. Berl. 1850. 4, p. 374 sq.

relicta esse sequatur <sup>39)</sup>, ut ne Patras quidem, quamvis et ipsas desertas et ab Augusto demum coloniae nomine restitutas <sup>40)</sup>, ad illius fortunae similitudinem revocare audeam. Quid est enim quod Ciceronem provinciam Achajam novisse demonstret? Num is locus, ubi L. Mummius *urbem pulcherrimam atque ornatissimam Corinthum, plenissimam rerum omnium, sustulisse urbesque Achajae Boeotiaeque multas sub imperium populi Romani ditionemque subjunxisse* dicitur <sup>41)</sup>? At idem, opinor, quicquid subjectum fuerit, singulas tantum urbes fuisse innuit, universam vel Boeotiam vel Achajam Romano imperio accessisse ne in ea quidem exaggeratione contendit, qua paulo ante Macedoniam, quae etiam quinquaginta annis post libera mansit, a Flaminio *subactam* esse praedixit; nec si *multas* urbes memorat, ad Achajam has potius quam ad Boeotiam referri cogit, quam nullo magis consilio Achajae adjunxisse videtur, quam ut hoc adjectivo uti posset, quod soli Achajae non convenire intelligeret. Quod autem Gabinium Achaei, Pisone patrono, repetundarum accusaverant <sup>42)</sup>, ne provincialem horum conditionem arguere credamus, ipsa Ciceronis verba prohibent, qui eodem loco legem de pecuniis repetundis *sociorum atque amicorum populi Romani patronam* appellat, utque concedam eandem appellationem etiam in iis terris inveniri, quas provincias fuisse aliunde constet <sup>43)</sup>, temerarius tamen foret, qui hoc nomine ita abuteretur, ut ubi socios et amicos memorari videret, ejusdem regionis alias partes ad provincialem conditionem deprimeret. Immo vel hac de causa fieri non potest, ut Gabinium Achajam pro Praetore rexisse statuamus, quia hujus aetas certissime in illud tempus incidit, quo Plutarchus negat Romanos Praetores in Graeciam misisse <sup>44)</sup>, eademque Oppii vel Opimii causa est, quem imperitus infimae aetatis Scholiasta Praetorem Achaicum nuncupat <sup>45)</sup>, cui quicquid

39) P. 123: wenn neben diesen Gebieten, welche unzweifelhaft sogleich unter römische Verwaltung gestellt wurden, ein grosser Theil der andern griechischen Städte in freier Verfassung fortbestand und mit Beziehung hierauf spätere Schriftsteller von einer Freiheit Griechenlands nach den Zeiten des Mummius reden, so ist daraus keineswegs ein Argument gegen die Einführung der Provinzialeinrichtung herzunehmen.

40) Paus. VII. 18: προσπαισάντες δ' ἐν ταῖς μίχαις μείζονως λόγον καὶ ὑπὸ πενίας ἅμα οἱ πολλοὶ πεισόμενοι Πάτριος μὲν πλὴν ὀλίγων τινῶν ἐκλείπουσι, οἱ δὲ ἄλλοι κατὰ χώραν ὑπὸ φιλεργίας ἐοικυῖσθαι κ. τ. λ., cf. Polyb. XL. 3 et Zumpt. I. c. p. 375.

41) Verrin. II. 1. 21.

42) Div. in Caecil. c. 20.

43) Verrin. II. 1. 6.

44) V. Cimon. c. 2: οὐπω γὰρ εἰς τὴν Ἑλλάδα Ῥωμαῖοι στρατηγούς διεπέμποντο.

45) Schol. Gronov. Cic. Verrin. I. 2 et 3.

concedi poterit, hoc erit, ut eum, qui Cicerone teste peculiari inquisitioni Achaicae occasionem dederit, Quaestorem populi Romani fuisse statuamus, qui in administrandis agri Corinthiaci vectigalibus <sup>46)</sup> finitimos quoque populos liberos laesisset. Hos autem liberos fuisse et supra allatus locus, ubi Sicyonius homo socius et amicus Romanorum appellatur, et ille docet, ubi Senatusconsultum de populis liberis factum Sicyonios ab Attici persecutione tutos praestat <sup>47)</sup>; neve his peculiarem honorem habitum esse arbitremur, similem omnium Achaeorum causam eadem testimonia probant, quibus insigni cum cavillatione Marquardtus in suam rem abusus est <sup>48)</sup>. Nimirum Pisonem Macedoniam administrante annis 697—699 universam Achajam ad Macedonici Proconsulis jurisdictionem pertinuisse, Achajam, Thessaliam, Athenas, Dyrrhachium, Apolloniam, Ambraciam, Partbinos, Bullienses, Epirum, Locros, Phocios, Boeotios, Acarnaniam, Amphilochiam, Aetoliam Macedoniae annumerari narrat; atqui extra ordinem Pisoni lege Clodia concessum esse, *ut ei de pecuniis creditis jus in liberos populos dicere liceret*, ipse novit; hoc igitur exemplo tantum abest ut aliorum Macedoniae rectorum potestatem tot regiones comprehendisse probetur, ut nisi optimo libertatis jure Achaeci uterentur, profecto non lege demum Clodia opus fuisset, ut Pisoni haec de certis rebus jurisdictio contra Senatusconsultum contraque generi sui legem nominatim obtingeret <sup>49)</sup>. Accedit, quod in proverbio est, ut qui nimium probet, nihil probet; cui si ex illis, quos attulit, locis provincialem Achajae conditionem colligere liceret, idem non modo de Athenis, indubitatae libertatis civitate <sup>50)</sup>,

46) Sic Cyrenaicam solis Quaestoribus administrandam permissam esse quam aliunde tum ex Livii fragmento Pertziano docte nuper Borghesius demonstravit in Verh. d. Leipz. Gesellsch. d. Wissensch. 1850, p. 198, quorum unum vel ταμίαν ἀντὶ οὐρατηγῶν, quaestorem pro praetore numi apud Eckhel. T. IV, p. 126 appellant, eademque causa esse videtur C. Sextilii Rufi in Cypro apud Cic. Fam. XIII. 48; his igitur exemplis etiam Corinthi Quaestorem collocari facile patior, Achaicum tamen hunc non magis quam Praetorem appellari velim.

47) Cic. ad Att. I. 19.

48) P. 127: *es erklärt sich hieraus ferner die Thatsache, dass Achaja unter den Proconsuln von Macedonien stand, cum hac annotatione: Zur Zeit des Lucullus gehörte Böotien unter die Gerichtsbarkeit des Proconsuls von Macedonien, in den Jahren 57—56, als Piso Macedonien verwaltete, ganz Achaja, Böotien, Aetolien; und in Pison. 40. 96 zählt Cicero als zu Macedonien gehörig auf Achaja . . . . Aetolia. Ganz ausserordentlicher Weise hatte Piso durch die lex Clodia de provinciis consularibus die Befugnis erhalten, ut ei de pecuniis creditis jus in liberos populos dicere liceret, was nach Cicero gegen alle Gesetze war.*

49) Cic. prov. cons. c. 4.

50) Strabo IX. 1. 20, p. 398: Ῥωμαῖοι δ' οὐκ ἐφέλαξαν τὴν ἀντιστοιμίαν αὐτοῖς καὶ τὴν ἐλευθερίαν.

sed etiam de Byzantio<sup>51)</sup> Thessaliaque<sup>52)</sup> statuere cogeretur, quas quum ante Caesarum aetatem nunquam bella cum Romanis gessisse certum sit, quomodo in provinciae formam converti potnerint, aegre intelligas, easdem tamen Piso ejusdem legis nomine acerbiissime vexavit. Mitto reliquas gentes, quas miro judicio Marquardtus hoc maxime argumento Pisonis jurisdictioni subjecit, quia eas exhauriri, lacerari, exinaniri, diripi, illudi, excidi, iniuri passus sit<sup>53)</sup>; sed etiam si quando jus dixit in Achajae urbe, non magis inde provincialis conditio apparet, quam Byzantii, ubi idem Cicero contra leges Senatusque consulta factum esse ait; nedum si certam Achaeis in annos singulos pecuniam imperavit<sup>54)</sup>, quo in genere eum liberas civitates pari cum provincialibus loco habuisse, non Dyrhachini tantum ac Thessali, quos eadem in causa cum Achaeis Cicero conjungit, sed Byzantii quoque et Thessalonicenses ostendunt, a quibus pariter ut a Boeotiis et Cherronensibus frumentum exegit<sup>55)</sup>. Denique ne illud quidem negligendum est, quod in omnibus his locis, ubi de extraordinaria Pisonis in populos liberos potestate agitur, quum extra Graeciae fines singulae tantum urbes memorantur, Achaei semper communi gentis nomine appellati sunt neque ullum vestigium ejus rationis apparet, qua Marquardtus Romanos Achajam ad aliarum regionum similitudinem<sup>56)</sup> ita tractasse vult, ut aliis urbibus libertatem darent, alias provinciae rectori subjecerent; cui licet hoc concedi possit, etiam liberas civitates passim provinciae, in qua sitae essent, nomine comprehendi<sup>57)</sup>, ante om-

51) Cic. prov. cons. c. 5: *urbem vobis utique huic imperio fidelissimum etc.*

52) Cic. in Pis. c. 16: *lege autem ea, quum nemo legem praeter te et collegam tuam putavit, omnis erit tibi Achaja, Thessalia, Athenae, cuncta Graecia addicta, cf. pro Sestio c. 43 deque Thessalorum sub Romanis libertate Lenormant in Revue numismatique 1852, p. 212 sqq.*

53) Haec enim solo Cicero in Pis. c. 40 de populis illis praedicat, quorum Marquardtus eodem auctore Macedoniae provinciae attribuit: *Achaja exhausta, Thessalia vexata, laceratae Athenae, Dyrhachium et Apollonia exinanita etc.*

54) Cic. pro Sestio c. 43; eadem ut videtur sunt *centum Achaeorum talenta* in Pison. c. 37.

55) Cic. in Pis. c. 35.

56) P. 123: *genau eben so verfuhr man in Africa, wo ein Theil der Städte frei und ohne Abgaben blieb, für die andern aber der Statthalter gesendet wurde.* At hujus, opinor, et rectores novimus et oppida, quibus nominatim immunitas tribuitur, ut reliqua tributo obnoxia fuisse appareat; Achaei non singularim sed universi liberi dicuntur nec rectores nisi extra ordinem constitutos habent; quid igitur simile horum et Afrorum, de quibus Appianus Pun. c. 135: *ταῖς δὲ λοιποῖς φόρον ἔβησαν καὶ οὐκ ἐπιτηδόν ἰσχυροῦσιν αὐτοῖς ἐκ Πρώτης παραρτίων ἔκαστων?*

57) P. 124: *niemals aber haben die Römer solche Städte als usserhalb der Provinz bestehend angesehen, sondern es wird immer von freien Städten in der Provinz geredet; cf. Cic. pro Fontejo c. 2.*

nia tamen de ipsa provincia constare debet, quam propter singularum urbium in ea sitarum libertatem totam liberam appellari ab omni Romanorum ratione abhorret neque iis exemplis, quibus Marquardtus ad eam sententiam confirmandam abusus est <sup>58</sup>), unquam comprobabitur. Nam quod Plinius <sup>59</sup>) amicum in provinciam Achajam, qualis tum erat, pro Consule iturum, postquam totius Graeciae laudes praedicavit, simul etiam cogitare jubet se *ad liberarum civitatum statum ordinandum* missum esse, hoc vocabulo non provinciam significat, sed quas deinceps nominat Athenas et Lacedaemonem, quas hoc ipso libertatis nomine provinciae opponit; Ciceronem autem Syriae, quam statim provinciam factam esse constat, iisdem verbis quibus Achajae conditionem pro libera venditasse tam aperte falsum est, ut sola oratoris verba subjecisse sufficiat <sup>60</sup>), quae Marquardtus ita tantum ad consilium suum detorquere potuit, ut Pisonis nomini Gabinio substituto ea, quae Cicero de ipsa Achaja Pisoni a Clodio vendita dixit, nescio quo errore ad hujus collegam Syriae Proconsulem transferret!

### III.

Atque haec, opinor, aequalium auctoritas, qui liberam etiam post Romanorum victoriam Achajam et viderunt et appellarunt, ad provinciae nomen ab hoc tempore avertendum vel sic sufficeret, si posteriores scriptores, suae aetatis specie seducti, provincialem formam ab imperatoribus constitutam a priore tempore perperam repeterent; id ipsum tamen quamvis et excusationem haberet et antiquam fidem labefactare minime posset, a nullo unquam ita factum est, ut vel Sigonius vel Marquardtus errorem suum claro testimonio magis quam artificiosa interpretatione confirmare potuerint. An hoc ad fidem ei faciendam sufficere arbitremur, quod Achajam, non Graeciam provinciam appellatam esse legimus, quasi alio nomine Romanos uti consentaneum fuerit, nisi statim everso foedere

58) P. 123, ubi post verba not. 39 citata ita pergit: *dieselben Ausdrücke werden von der Provinz Syrien, deren sofortige Einrichtung ohne Zweifel ist, und in Betreff Achajas noch unter Trajan von Plinius gebraucht.*

59) Epist. VIII. 24; cf. Hertzberg. p. 22.

60) De domo c. 9: *quid? homini teterrimo, crudelissimo, fallacissimo, omnium scelerum libidinumque maculis notissimo L. Pisoni nonne nominatim populos liberos, multis Senatusconsultis, etiam recenti lege generi ipsius liberatos, vinctos et constrictos tradidisti?*

Achaico provinciam instituerent<sup>61)</sup>? Quid vero? si nunquam provinciam fecissent, num minus ideo Achajam dicere poterant, quam verisimillimum est eos non post victoriam demum, sed ab eo inde tempore appellasse, quo Achaeos magnam Graeciae partem foedere suo comprehendentes cognoverunt? Immo si quid ex hoc nomine ellici licet, inde quoque liberos etiam post cladem Achaeos mansisse colligam, quibus si Romani statim provinciae formam imposuissent, soluti foederis memoriam in pristini nominis communione integram relicturos fuisse non magis arbitror, quam Jugurtha devicto Numidiam pro Africa dicere maluerunt. At, inquit, Livius L. Mummius omnem Achajam in deditioem accepisse tradidit<sup>62)</sup>. Vero; inde tamen nihil ultra sequitur, quam ut Romani Achajam in provinciae formam redigendi potestatem nacti sint; ut redigerent, non magis necesse erat, quam olim fuerat, ut Campanis libertatem adimerent, qui quum *se suaque, agrum urbemque, divina humanaque utensiliaque in arbitrium ditionemque populi Romani dedidissent*<sup>63)</sup>, tum deum populi scito a Senatu deliberatum est, quousque hac potestate utendum esse videretur; isque tantum aberat ut quicquid ex jure gentium in deditos statui liceret exsequeretur, ut *claram victoriam vincendo oppugnantes, non saeviendo in afflictos fieri*<sup>64)</sup> ratus interdum vel ea victis remitteret vel restitueret, quae duces victores deditiois titulo freti ademissent. Et in Achajam quidem deleta Corintho satis superque saevitum esse videri poterat; reliquas urbes vel sola libertate privari eo atrocius fuisset, quo minus hae ad illum usque diem ulli unquam domino paruerant; quod si Romani ne Siculos quidem, quum illis provinciae formulam imponerent, alia conditione sibi parere voluerunt, quam *qua suis antea paruissent*<sup>65)</sup>, ex hac ratione Achaeis obsequium injungere omnino non potuerunt; neque Africae exemplum, quo identidem Marquardtus confugit, ad Graeciam transferri potest, quae quum jam dudum Karthaginensium imperio subjecta fuisset, his excisis

61) Marquardt p. 125: *so scheint mir dagegen der Name Achaja, den die Alten aus dem Umstande herleiten, dass die Provinz in unmittelbarer Folge des achäischen Kriegs entstanden sei . . . entschieden für die Ansicht des Sigonius zu sprechen. Provinciam nullo tempore interjecto ex bello Achaico ortam esse de suo addidit; veteres regionis tantum nomen hinc derivant, διότι ἰχτιρόουσαντο Ἑλλήγους δι' Ἀχαιῶν τότε τοῦ Ἑλληνικοῦ προιστάτων.*

62) Epit. L. LIH.

63) Liv. XXVI. 33.

64) Ibid. XLII. 8.

65) Cic. Verrin. II. 3. 6.

libertatem non ut Achaei deleta Corintho retinisset sed tanquam novum atque insolitum donum accepisset. Ovidius autem quod Karthaginem cum Graecia ita componere videtur<sup>66)</sup>, ut hinc Marquardtus parem utriusque sortem colligat<sup>67)</sup>, iterum quia nimium probat, nihil probat; qui si Achajam provinciam testaretur, eadem et Spartam et Samon comprehenderet, quas utique liberas fuisse constat<sup>68)</sup>; has igitur si nihilominus *veteri Latio suppositas* appellat, ne in reliqua quidem Graecia poëticas vel rhetoricas exaggerationes statim ad juris conditionem existimandam adhibendas esse comprobat. Atque haec etiam Taciti causa foret, si hujus verba, quibus *possessa Achaja Asiaque ludos curatius editos ait a L. Mummii triumpho, qui primus id genus spectaculi in urbe praebuerit*<sup>69)</sup>, revera id significarent, quod Marquardtus eorum ope probare voluit; propius tamen explorantibus et ipsa nihil nisi expugnationem et occupationem militarem significant<sup>70)</sup>, unde id solum discimus, quod inter omnes constat, de fortuna regionis administrationisque forma aut jure nihil amplius edocemur. Quo in genere longe major L. Senecae auctoritas est, quam temere profecto Marquardtus ad singularem tantum civitatum liberarum numerum revocare conatus est; qui ubi Romam *Achacis, Rhodiis et plerisque urbibus claris jus integrum libertatemque cum immunitate reddidisse* narrat<sup>71)</sup>, planissime id, quod in aliis regionibus singulis tantum claris urbibus contigerit, Achacis universis ita tribuit, ut hos quasi unius civitatis nomine complectatur; eidem autem libertatem redditam tam clare testatur, ut ne si Tacitus quidem ereptam traderet, prae teste quinquaginta annis vetustiore audiendus esset, nedum obscuri infimae aetatis scriptores, qui tamen ipsi nequiquam ita plane loquuntur, ut cum contrariorum testimoniorum perspicuitate comparari possint. Quod enim Aurelius Victor Saturninum tribunum plebis *Siciliam, Achajam, Macedoniam novis coloniis destinasse* ait<sup>72)</sup>, nihil aliud

66) Fast. VI. 45 sqq.

67) P. 122: *endlich gehören hierher auch alle Stellen, in welchen die Alten das Schicksal Achajas und Karthago's zusammenstellen*, quorum tamen unum tantum Ovidii locum affert.

68) Samon liberam fuisse testatur Plin. N. Hist. V. 3. fuitque certe antequam Fastrorum opus Ovidius conderet, inde ab a. u. c. 734; cf. Euseb. Chron. Ol. CXC. 2.

69) Ann. XIV. 21.

70) Cf. Bottich. Lex. Tac. p. 364 et Walther. ad Ann. II. 5: *jam possidere locum sensu militari est occupare, ut teneatur ad usus militares, non ad incolendum*.

71) Benef. V. 16.

72) V. Illustr. c. 73.

significat nisi illum in has terras colonos mittere constituisse; totam nec Macedonia aut Siciliam, quae revera provinciae erant, colonis destinare poterat, nedum Achajam, ubi ipse Marquardus multas civitates liberas mansisse concessit; quod si vel sic ad eos agros redeundum est, qui in singulis terris publici populi Romani erant, in Achaja sufficit Corinthiacus, neque ex illo loco magis quam ex ullo alio efficies, quod extra dubitationem positum Marquardus statuit <sup>73</sup>), etiam praeter Corinthum, Thebas, Chalcidem alia Graeciae oppida in illo bello armis expugnata eadem fortunae iniquitate usa esse. De Sexti Rufi autem loco, qui *liberam diu sub amicitiiis Romanorum Achajam ad extremum per L. Mummiū Proconsulem capta Corintho omnem obtentam esse* narrat <sup>74</sup>), jam in superiore disputatione monui *obtineri* apud hunc scriptorem etiam tales regiones dici, quas multo posterius in provinciae formam transiisse certum sit; cui quod Marquardus opponit, eodem modo, quo Proconsul vel Propractor *obtineri provinciam* dicatur, idem verbum ad populum quoque Romanorum transferri posse <sup>75</sup>), ego vero, si aliunde provinciam fuisse constet, neutiquam nego; ne tamen, id quod Sigonius fecit, ex hoc solo verbo provinciam factam esse colligam, etiam nunc Armeniae minoris exemplo prolibeor, quam etsi Sextus Mithridate victo *armis obtentam esse* ait, eandem tamen ad Neronis usque aetatem suos regulos habuisse novimus <sup>76</sup>). Vel hunc igitur scriptorem si presse sequimur, eam tantum libertatis partem Graecos amisisse testatur, quae in belli jure armorumque usu cernebatur, quo se ipsi suis viribus tueri aliisque auxilium praestare possent; obtinetur enim, qui alienum potius praesidium recipere cogitur, eamque Graecorum quoque post Mummii victoriam fortunam fuisse quum aliunde notum est tum mox singulis exemplis intelligemus; provinciae tamen jus et conditio in aliis rebus posita erat, rectoris publice impositi jurisdictione, agrorum et pascuorum vectigalibus, tributo in capita constituto, quorum omnium, si ab eversarum ur-

73) P. 123: *dasselbe Schicksal theilten ohne Zweifel alle andern in diesem Kriege mit Waffengewalt eroberten Städte.*

74) Breviar. c. 7.

75) P. 122: *wegen der Stelle des Sextus, in welcher Hermann auf den Ausdruck obtenta est Gewicht legt, bemerke ich, dass, wie man vom Statthalter sagt obtinere provinciam, so dies auch offenbar vom römischen Volke gesagt werden kann. Potest sane, sed ita ut tanquam possidere (not. 70) praesidium tantum et copias significet, quibus locum aliquem occupes, cf. Liv. I. 6, XXI. 26, XXX. 29; juris potestativae significatio non inest.*

76) Dio Cass. LIX. 12, Tac. Ann. XIII. 7.

bium agris discesseris, nihil adhuc, quod liberae reipublicae tempore Graecis a Romanis injunctum fuerit, deprehendimus.

#### IV.

Haec hactenus de Latinis, quos Marquardtus opinionis suae veterisque erroris fidejussores adhibuit; restat ut Graecos interrogemus, qui tamen ne si magis quidem adversario faverent, propter infestos Romanis animos acceptaeque cladis dolorem incorrupti testes videri possent; nunc quum nec ipsi quicquam praeter Romanorum victoriam bellique jus in victos inermesque exercitum testentur, nostrae potius sententiae auctores et patroni accedunt. Polybium, qui singularem victorum moderationem et indulgentiam summis laudibus prosequitur, superius audivimus; at nec Diodorus Siculis, qui oratoriis magis coloribus quam historica fide ad subitam fortunae conversionem describendam eorundem saevitiam exaggerat (77), ultra ea damna procedit, quae cladem bellicam necessario sequebantur, nec Strabo Achajam in provinciae formam conversam, sed ita Romanorum imperio subjectam esse tradit, ut hi aliis alios στρατηγούς mitterent (78), quos qui sano judicio utatur nec Praetores nec cum Marquardto legatos, sed duces sive praefectos militares interpretabitur, qui variis praesidiis praecessent, quibus Romani subinde illas regiones firmandas censuissent. Praetores enim Graeciae illo tempore nondum missos esse elaro Plutarchi testimonio (cf. not. 44) scimus; quos autem Marquardtus Proconsulis Macedoniae legatos comminiscitur, quibus Achaja aut semper aut plerumque administranda commissa sit, eoque pacto hujus conditionem planissime describi jactat (79), neque ullo exemplo probavit liberae reipublicae aetate partes provinciarum peculiari potestate regendas ac-

77) Exc. Vat. XXXIII. 1: οἱ δὲ ἐν ὀφθαλμοῖς ἰδόντες οὐγγυῶν καὶ φίλων οὐραγῆς καὶ πελίκισμους καὶ πικρῶν ἄλωσις καὶ ἱρπαγῆς καὶ πινδῆμων μὲθ' ἰβητικῶς ἀνδραποδισμῶς καὶ τὸ σῖναλον τὴν ἑλιθιοῖν καὶ τὴν παρρησίαν ὑποβαλόντες μισιστῶν ἰγυθῶν ἠλλυζαντο τὰς ἰσχυτάς οὐρφομάς: quibuscum tamen etiam conferenda not. 95.

78) Str. VIII. 6. 23, p. 381: πικροθείσης γὰρ ἡξιολόγων στρατιᾶς αὐτῆς τε κατῆστικτο ὑπὸ Λικίου Μουμίου, καὶ ἄλλα μίχρη Μακεδονίας ὑπὸ Ῥωμαίοις ἰγίνοντο, ἐν ἄλλοις ἄλλων πεμπομένων στρατηγῶν· τὴν δὲ χεῖραν ἴσχυον Σικυῶνιοι τὴν ἀλειστην τῆς Κορινθίας.

79) P. 127: diese widersprechenden Angaben lassen sich vielleicht vereinigen in der Nachricht des Strabo . . . wenn man diese Nachricht so versteht, dass Achaja entweder immer oder doch in der Regel nicht von einem Statthalter, sondern von mehreren Legaten des Proconsuls von Macedoniaen verwaltet wurde.

cepisse, neque in ipso illo, quod ex imperatoria aetate attulit, Hispaniae exemplo animadvertit eos quoque legatos, qui provinciarum rectoribus adjuncti essent, nunquam στρατηγούς, sed πρεσβευτάς<sup>80)</sup> vel, si quis accuratius loqui vellet, ὑπάρχους sive παρῆδρους nuncupari<sup>81)</sup>; quod si Strabo ἐν ἄλλοις ἄλλων πεμπομένων στρατηγῶν meminit, manifesto non statos magistratus sed militum duces significat, quos in bellis Mithridatico, piratico, civilibus passim Graeciae oram praesidiis tenuisse pluribus olim persecutus sum<sup>82)</sup>. Atque hujus generis etiam Cornelius ille Sisenna Ἑλλάδος ἄρχων est apud Dionem Cassium<sup>83)</sup>, quem omissum a me docte Kühnius<sup>84)</sup> animadvertit, eundem tamen dudum ipse annotavi<sup>85)</sup> non provinciae praesidem sed unum ex Pompeji legatis illis extraordinariis fuisse, quibus hic et ipse extraordinario contra praedones maritimos imperio accepto praetoria insignia plenamque cuique in ea ora, quae ipsius fidei tradita esset, potestatem attribuerat<sup>86)</sup>; quos inter quum Appianus claris verbis Peloponnesum et Atticam, praetereaque Euboeam et Thessaliam et Macedoniam et Boeotiam L. Sisenae commissas esse narret, hujus praefecturae non magis quicquam cum provinciarum descriptione commune fuisse apparet, quam L. Flacci, qui paulo ante Achajae Thessaliae Boeotiae imperatore Metello Cretae Proconsule praefuerat<sup>87)</sup>. Neque illo, opinor, Dionis loco caute Marquardtus usus est, ubi is Caesarem in militum suorum allocutione Graeciam quoque cum Sardinia, Sicilia, Macedonia, Illyrico inter vetera imperii Romani incrementa enumerantem fecit<sup>88)</sup>, quam orationem quum omnino historica trutina exigi iniquum sit, tum ad provinciarum aetatem stabiliendam omnino non pertinere vel

80) Strabo III, p. 166; cf. Plut. V. Cic. c. 30; C. Inser. T. II, p. 863 etc.

81) Dio Cass. LIII. 14: οὕτω γὰρ ἂν ὀρθῶς αὐτοῖς οὐ πρὸς τὸ ὄνομα ἀλλὰ πρὸς τὴν πρῆξιν καλεῖται, ἐπεὶ οἱ γε ἄλλοι πρεσβευτῆς καὶ τοιούτους ἑλληνίζοντες ὀνομάζονται: cf. XXXVIII. 35, LV. 27, et Wannowski Antiqu. Rom. e Graecis font. explic. p. 174.

82) Gesamm. Abhandlungen p. 368.

83) Dio Cass. XXXVI. 1.

84) Beitr. p. 89.

85) Gott. gel. Anz. 1849, p. 1200.

86) Bell. Mithrid. c. 94: ὑπάρηται δ' ἀπὸ τῆς βουλῆς, οὓς καλοῦσι πρεσβευτῆς, πέντε καὶ ἑκοσιν· οἷς ὁ Πομπηϊὸς διῆρει τὴν θάλασσαν καὶ γὰρ ἰδίῳ καὶ ἑπείῳ ἐκάστῳ καὶ στρατιὸν πεζὴν καὶ στρατηγίας σημεῖα περιέσθαι, ἵνα αὐτοκράτωρ ἐντελής οὐ πιστεύοιτο μέρους ἑκάστου ὑπάρχου: cf. Plut. V. Pomp. c. 25 et Drumann. T. IV, p. 409.

87) Cic. pro Flacco c. 26; cf. Drumann. T. II, p. 52, V, p. 623.

88) Dio Cass. XXXVIII. 38; cf. Marquardt p. 126.

illud ostendit, quod Maccdouiae possessae tempus cum Philippo et Perseo, Asiae cum Antiocho conjungit, quibus devictis neutram statim in provinciae conditionem abiisse constat; cur igitur tertii p. Chr. n. saeculi scriptori hanc veniam negemus, ut in recensendis majorum rebus gestis victoriae magis quam administrationis rationem habeat? At Pausanias victis Achaeis eas a Romanis leges impositas esse tradit, quae provincialem formam planissime arguere videantur. Fateor, mirorque Marquardtum non magis id ursisse, quod si certa fide Pausanias tradidisset, vel solum ad illius sententiam fulciendam sulliceret, *tributum Graeciae impositum* <sup>89)</sup>; quanquam etiam reliqua hujus narratio ita comparata est, ut si hoc uno testimonio rem confici necesse esset, neminem reprehendere possemus, qui Pausaniae verba in eam sententiam interpretaretur, ut hunc posteriorem provinciae formam ab ipsius Munnii aetate et instituto repetere existimaret. At ubi tot aequalium, tot antecedentium, tot Romanorum scriptorum testimonia habemus, quae jus integrum libertatemque cum immunitate Achaeis redditam liberorumque populorum appellationem ne in summa quidem Pisonianae jurisdictionis acerbitate amissam declarent, ne si ipsum quidem Pausaniam contrarium credidisse certum esset, hujus auctoritas reliquae antiquitatis consensui opponi posset, nedum in ea verborum ejus ambiguitate, quae cum ex suae potius aetatis conditione judicare, quam antiqua lide tradita narrare arguat. Neque enim statim post Munnium rectorem provinciae Achajae datum esse, sed ad suum usque tempus mitti ait <sup>90)</sup>, quod si tum jam ducentis fere annis factum erat, ex quo inde tempore fieri coepisset, pro ipsius consilio eo minus quaeri necesse erat, quo furtivius id ipsum usu venisse videtur, ut quum per bellorum civilium turbas continua praesidiorum Romanorum vicissitudine Graecia obtenta esset, paulatim tam prope ad provinciae similitudinem accederet, ut Augustus eam pro tali Senatui Romano concedere posset. De tributo autem hoc tantum constat, Tiberio principe per S<sup>C</sup>tum *Aegiensi apud Achajam civitati motu terrae labefactae remissione tributi in triennium subventum esse* <sup>91)</sup>; antiquius exemplum non apparet, nec Pausaniae vox propius spectata plus quam universam rei atrocitatem continere videtur, quod tum primum, ducentorum talentorum

89) Paus. VII. 16. 6: καὶ φόρος ἐπέθηκε τῇ Ἑλλάδι.

90) Ibid. §. 7: τούτων μὲν δὲ ἄφισιν παρὰ Ῥωμαίων ἔφρατο Ἕλληνας, ἡγεμονίᾳ δὲ ἔτι καὶ ἐς ἡμῶν ἀπιστίλλυτο: cf. Hertzberg. p. 15.

91) Tac. Ann. IV. 13.

multa imposita, liberae Graeciae pecunia alieno arbitrio imperata est; quam tamen ipsam quum mox remissam esse narret, tributum proprio nomine nihil cogit ut aut ante Augustum exactum aut Pausaniae aliud praeter Vespasiani institutum cognitum fuisse statuamus, quem rescisso Neronis dono Graecos ad provinciale obsequium revocasse novit<sup>92)</sup>. Quicquid denique de ipsius Pausaniae persuasione existimandum est, communem certe de Graecia a L. Mummio in provinciam conversa opinionem ne apud posterioris quidem aetatis scriptores invenimus, quorum unum nec profecto infimae auctoritatis hominem Julianum Augustum jam pridem monui Graecorum erga Romanos obsequium non necessitatis sed foederis et amicitiae nomine definire<sup>93)</sup>; alter nunc accedit Zonaras, quem etsi aetate longissime remotum auctores tamen nec deteriores nec juniores Pausania secutum esse satis constat, in hac autem historiae parte, de qua nunc agitur, ipsius Dionis Cassii libros deperditos in suum usum convertisse tam verisimile est<sup>94)</sup>, ut si hujus scriptoris vel minutissimo testimonio uti Marquardtus dedignatus non est, ejusdem in honorem nec Zonarae planissimo et disertissimo fidem negare debeat. Atqui hic postquam patrem Mummii decemque legatos ad constituendas victorum res advenisse narravit, dejectis nonnullarum civitatum moenibus praeter Corinthios omnes liberos et immunes dimissos esse claris verbis tradit, deletaque Corintho reliquam Graeciam extemplo quidem suppliciiis multisque acerbè vexatam, deinceps vero in tanta securitate rerumque affluentia constitutam esse ait, ut se ipsius cladis festinatione salvam confiteretur<sup>95)</sup>; quae sive ille a Dione sive a Polybio accepit, Diodori certe verba (cf. not. 77), unde quis plura etiam praeter Corinthum oppida deleta esse conjiciat, ad justum modum revocat, Pausaniam autem ita vel refutat vel explicat, ut quantacunque pecunia

92) Paus. VII. 17. 2: *καὶ σφῆς ὑποτελεῖς τε αὐθις ὁ Οὐλοπασιανὸς εἶναι φόρων καὶ ἀκοῖνεν ἡγεμόνος ἐκελευε.*

93) Epist. 35, ubi de Argis loquens: *Ῥωμαίους δὲ ὑστερον, ἰνquit, οὐχ ἄλοισα μᾶλλον ἢ κατὰ ξημμαχίαν ὑπῆκουσε, καὶ ὡσπερ οἶμαι μετεῖχε καὶ αὐτῇ καθ' ἑαυτὴν αἰ λουπαὶ τῆς ἐλευθερίας καὶ τῶν ἄλλων δικαίων, ὅσα νέμουσι ταῖς περὶ τὴν Ἑλλάδα πόλεις οἱ κρατοῦντες αὐτῶν.*

94) Cf. Schmidt in Zeitschr. f. d. Alterth. 1839, p. 267.

95) Zonar. IX. 31: *πεμφθέντων δὲ οἱ τοῦ τε πατρὸς καὶ ἄλλων ἐπὶ καταστάσει τῶν ἀλότων τεῖχη τε τινῶν περιεῖλε καὶ ἐλευθέρους πάντας καὶ αὐτονόμους πλὴν τῶν Κορινθίων ἀφῆκε· τῆς δὲ Κορίνθου καὶ τοῖς οἰκητοῦσι ἀπέδοτο καὶ τὴν χώραν ἰδημοσίωσε τὰ τε τεῖχη καὶ τὰ ἄλλα οἰκοδομήματα πάντα κατεσκευασε . . . καὶ ἡ μὲν Κορίνθος οὕτως ἀνάστατος γέγονε, τὸ δ' ἄλλο Ἑλληνικὸν παραχρῆμα μὲν καὶ σφραγῆς καὶ χρημάτων ἐκλογαῖς ἐκακώθη, ἔπειτα δ' ἐν τῇ ἀδείᾳ καὶ ἐν εὐθαιμονίᾳ τοσαύτη ἐγένετο, ὥστε λέγειν ὅτι εἰ μὴ θάπτον ἐαλώκεισαν οὐκ ἂν ἰσίσαντο: quibus cum extremis cf. Polyb. XI. 5.*

Achaei muletati sint, ad proximum tantum post cladem acceptam tempus restringat, perpetua et ordinaria tributa a Mummio imposita non magis norit quam provinciae formulam, qua singulae tantum civitates exemptae fuerint. Immo ut totius disputationis summam jam, ut spero, satis superque confirmatam repetam, libera etiam post Mummium Graecia mansit usque ad id tempus, quo Romanorum bellis civilibus implicata identidem victoris praeda exstitit; ante hoc tempus eversarum tantum urbium, Corinthi, Thebarum, Chalcidis agri vectigales facti et a Quaestoribus administrati sunt, quibus tamen nec jurisdictio neque ullum praeterea jus in incolumes civitates competeat; Proconsuli Macedoniae jurisdictio in Graeciam extra ordinem tantum lege Clodia salvaque populorum libertate de pecuniis creditis concessa est; legati praefectives militares, quicquid subinde potestatis exercebant, praesidii potius quam provincialis administrationis nomine habuerunt; ipsius provinciae neque appellatio nec rector legitimus ante Augusti aetatem apparet; postremo, ut jam in superiore disputatione monui<sup>96)</sup>, ne numerus quidem provinciarum, quem extremis liberae rei publicae temporibus fuisse constat, recte convenit, si Achajam eo comprehendere conabimur: — ecquando igitur Mummii memoriae ea laus reddetur, quam contra unanimum antiquitatis consensum adhuc illi compendiorum scriptores eripuerunt?

P. P. in Academia Georgia Augusta prid. Kal. Sept. MDCCCLII.

96) Gesamm. Abhandlungen p. 365.